

suam, et consuetudine in illa firmatos, ut non fuerit necessarium eis prohibere ne statum illius subito abjicerent vel mutarent: illo autem statu perseverante, etiam erat consequens ut multi illis cæremoniis uterentur, seclusa speciali obligatione. Dico etiam probabile esse, non potuisse quidem singulos Pontifices, vel sacerdotes statum illius legis et institutionem ejus omnino abrogare; si tamen communi consensu vellent cedere juri suo, et statim omnino relinquere cæremonias suas, potuisse id facere, quia hoc non erat eis prohibitum, et tunc universaliter cessaret ratio retinendi cæremonias pro aliquo tempore, quia cessaret omne scandalum Judæorum et omnis infamia ejusdem legis, et nullam haberet repugnantiam cum suavi providentia Dei. Quia vero hic casus erat moraliter impossibilis, ideo simpliciter permisit Deus statum illius legis pro aliquo tempore conservari quoad institutionem ejus, qua suppositione facta, tenebantur sacerdotes illius temporis sancta illa sancte tractare et juxta legem ministrare, quæ obligatio, facta illa suppositione, magis ex natura rei quam ex positivo præcepto sequebatur.

16. *Dubium.* — Atque hinc obiter responderi potest ad quamdam curiosam interrogationem quæ hic occurrit, an, eo tempore quo cæremonialia erant mortua, et non mortifera, tenerentur Judæiolvere decimas, quia hinc apparet non fuisse obligatos, quia lex erat mortua quoad obligationem, illi autem solum obligabantur ex vi legis. Item quia sacerdotes jam non tenebantur ministrare, licet illis licitum esset ministerium: ergo neque alii tenebantur illaolvere, quamvis licite possent, si vellent. Patet consequentia, quia obligatio stipendii correspondet obligationi ministerii: nam, seclusa hac obligatione quasi mutua et permanente, pro actuali ministerio, quando fieret, posset fieri arbitraria recompensatio, vel ex partium conventionem.

17. *Conclusio affirmatur.* — Nihilominus dicendum videtur eam obligationem pro eo tempore durasse: nam imprimis loquendo de Judæis non conversis ad fidem, non est dubium quin saltem ex conscientia quam habebant tenerentur decimasolvere, sicut etiam sacerdotes, ex simili conscientia, tenebantur ministrare; et verisimile est etiam Judæos ad fidem conversos eandem existimationem pro aliquo tempore habuisse, pro quo non satis constabat legem illam esse mortuam. Præterea non videtur illa conscientia omnino fundata in errore

vel ignorantia, sed in naturali quadam justitia, supposito statu illius populi conservantis illum religiosum cultum Dei, ut a Deo institutum et approbatum etiam pro eo tempore, et ab eodem populo quasi communi consensu retentum: nam inde oriebatur mutua obligatio ex parte sacerdotum, ut essent parati ad ministrandum, quando alii vellent uti legalibus; et ex parte populi, ad solvendas decimas. Eo vel maxime quod tribus Levitica non habuerat sortem in terra promissionis, et loco illius decimas acceperat; ideoque, durante statu illius reipublicæ et templi, non debuit illis privari: nam hoc etiam erat moraliter necessarium ut scandala vitarentur et omnia ordinate fierent.

18. *Legem solvendi decimas non fuisse cæremonialem, sed judicialem.* — In quo tandem considero illam legem solvendi decimas non fuisse cæremonialem, sed judicialem, et ideo potuit lex illa obligare, etiamsi præcepta cæremonialia essent mortua. Verisimile enim est judicialia præcepta non fuisse pro eo tempore mortua, saltem illa quæ ad conservandam justitiam et publicam pacem illius reipublicæ erant necessaria. Quia, durante pro tunc statu politico illius reipublicæ (prout durabat, permittente, imo et approbante Deo), necessarium erat habere leges judiciales per quas cives obligarentur et malefactores possent puniri, et alia observari pertinentia ad justitiam contractuum et aliarum actionum: nam obligatio talium legum non repugnabat cum consummata redemptione Christi, nec cum obligatione legis novæ, nec etiam fuerat specialiter et expresse revocata. Et ita D. Thomas non probavit abrogationem præceptorum judicialium nisi ex defectu subjecti, id est, ex dissolutione illius reipublicæ et mutatione status ejus. Durante ergo illo tempore et statu, recte potuit pro illo tempore præceptum decimarum obligare.

## CAPUT XX.

QUOMODO FUERIT SEMPER ILLICITUM GENTES AD JUDAIZANDUM COGERE, ET TRACTATUR LOCUS PAULI AD GALAT. 2, ET EXPENDITUR PROHIBITIO SANGUINIS ET SUFFOCATI, ACTOR. 15.

1. *Multiplex coactio.* — Nunquam potuisse gentes licite cogi ad legalia. — Duo tempora distinguenda. — Ex rationibus dubitandi in c. 15 pro utraque parte positus, et ex rationibus ac testimoniis additis pro sententia Hieronymi in cap. 16, solum supersunt nobis explicanda duo loca Scripturæ in titulo proposita; cætera

enim omnia, explicando sententiam quam veram reputamus, expedita sunt, et multis etiam occurrentibus difficultatibus obiter est satisfactum; hæc vero duo loca specialem ac diligentem requirunt declarationem. Quia vero difficultas illorum locorum nascitur ex coactione gentium ad servanda legalia, ideo pauca de illa præmittenda duxi. Duobus autem vel tribus modis accidere potuit hæc coactio: primo, per coactionem quasi penalem, quæ, ut justa sit, supponit obligationem in eo qui cogitur, et potestatem seu jurisdictionem in cogente. Secundo, per impropiam coactionem, quam directivam appellare possumus, imponendo scilicet, obligationem ad legalia servanda, licet antea non esset. Tertio, intelligi potest coactio adhuc magis impropria, quæ est per consilium vel exemplum. De prima non fit mentio in Scriptura, de secunda videtur procedere locus Actorum, de tertia vero locus ad Galat. 2. Primo ergo tanquam certum statuo nunquam potuisse gentes licite cogi ad legalia servanda primo genere coactionis, quasi ad implendam obligationem in illis præexistentem. Hæc assertio nota est ex hactenus dictis; illam vero hic præmittimus, ut res magis intelligatur, et ut, occasione illius, aliqua loca Scripturæ ad hanc materiam spectantia explicentur. Possumus igitur duo tempora distinguere: unum est post decretum ecclesiasticum factum in Concilio apostolico, Actor. 15; aliud est de antiquiori tempore a passione Christi usque ad illud concilium. Post dictum ergo concilium, certissimum est principium positum, quia in illo definitum est, Gentiles conversos non esse obligatos ad legalia servanda, sed solum ad onera in eodem concilio declarata, quæ revera legalia non erant, ut infra videbimus: ergo nullo modo licebat illos cogere ad talem observationem. Probatur consequentia, quia cogere aliquem ad id quod facere non tenetur per se iniquum est. Nam vel talis coactio esset per violentiam, et sic esset injusta, vel esset per deceptionem, persuadendo illis legalium necessitatem, et sic esset hæreticum, contra Apostolorum definitionem.

2. *Confirmatur.* — Duplex ascensus Pauli in Jerusalem. — Lucas quatuor ascensus Pauli numerat. — Atque hoc confirmant verba Pauli ad Galat. 2: *Quomodo gentes cogis judaizare?* nam licet non loquatur de rigorosa coactione violenta, a fortiori probat illam non fuisse licitam. Pertinent autem illa verba ad illud tempus de quo tractamus; nam licet Augustinus, dicta Epistol. 19 ad Hieron., c. 2,

aliquantulum a principio, probabilius existimet illud factum Petri, quod refert Paulus ad Galat. 2, accidisse ante concilium Apostolicum Act. 15, nihilominus, bene inspecta historia Actorum, et collata cum dicto loco Pauli ad Galat. 2, contrarium videtur dicendum. Quia in dicta Epistola narrat Paulus duplicem ascensum suum in Jerusalem, primum in cap. 1, triennio post conversionem suam; secundum in cap. 2, *post annos quatuordecim*, utique a primo ascensu, ut contextus ipse suadet, et multi exponunt, et specialiter variis rationibus ostendit ibi Salmeron, disp. 22. Ille autem secundus ascensus Pauli idem fuit cum illo, quo ad illud concilium cum aliis convenit, ut in eodem cap. 2 insinuat Ambr., refertque Hieronymus et non improbat, et clare docent Theodoret., Anselm., D. Thom., Cajetan. et Beda, Actor. 15. Potestque facile suaderi ex collatione utriusque ascensus, et ex circumstantiis eorum, et ex aliis conjecturis a ratione temporum sumptis; illis autem omissis, hæc ratione nunc breviter utor. Quia alias hic ascensus Pauli, cujus ipse meminit ad Galat., c. 2, omissus fuisset a Luca in historia Actorum, quod non est verisimile, quia erat res valde gravis, multumque ad doctrinam fidei spectans. Sequela declaratur, quia Lucas quatuor tantum ascensus Pauli in Jerusalem numerat. Primus est, Actor. 9, triennio post conversionem suam, de quo nulla potest esse quæstio. Secundus, Act. 11, ad deferendas elemosynas fratribus. Tertius, tempore concilii, Act. 15. Quartus, Act. 21, quando comprehensus est a Judæis. Et de hoc etiam ultimo non est quæstio, quia constat eo tempore jam Paulum contulisse Evangelium suum cum Petro.

3. *Opinio quorundam refellitur.* — Quo tempore Paulus Petrum reprehenderit. — De secundo autem aliqui dicere voluerunt coincidere cum ascensu Pauli ad conferendum Evangelium cum Apostolis, cujus meminit ad Galat., secundo. Sed non est verisimile; tum quia nullum indicium ad hoc asserendum sumi potest ex utroque loco; tum etiam quia tunc nondum erant ortæ contentiones et scandala quorum occasione Paulus ascendit, ut conferret suam doctrinam cum Apostolis. Non enim propter se aut propter auctoritatem doctrinæ, sed propter alios qui ex conversione et libertate gentium turbabantur ascendit; tum præterea quia ille secundus ascensus non potuit esse *post annos quatuordecim*, ut ait Paulus, quia fuit anno secundo Claudii imperato-

ris, alias quadragesimo-quarto a nativitate Christi, ac subinde decimo vel undecimo a morte Christi, ut late probat Baron., 1 tom. Annal. Unde etiam fit verisimile quod idem auctor affirmat, Petrum eo tempore non fuisse Hierosolymis, sed Romam adiisse; non potuit ergo tunc Paulus cum Petro Evangelium conferre. Superest ergo ut illa collatio facta sit in dicto concilio Actor. 15, atque ita ut idem sit ascensus ad concilium, et ad conferendum cum Petro post decimum-quartum annum a Paulo designatum. Existimo autem (ut dixi) numerasse Paulum illos quatuordecim annos a primo ascensu, et ideo illum decimum-quartum annum fuisse decimum-septimum a conversione Pauli: nam tres præcesserunt ante primum ascensum ejus, et inde fit fuisse illum annum decimum-nonum a passione Domini; nam biennio post illam conversio Pauli contigit. In idem autem tempus optime cadit congregatio dicti concilii, quia antea non potuerunt Petrus et Paulus Hierosolymis simul adesse, cum Petrus fuerit Romæ usque ad nonum vel decimum annum imperii Claudii, qui est decimus octavus a passione Domini, ut ex historiis constat. Relinquitur ergo ut factum illud Petri quod reprehendit Paulus ad Galatas secundo, acciderit post prædictum Hierosolymitanum concilium.

4. *De tempore ante prædictum concilium.*—*Gentes non posse ad legalia compelli.*—*Quo anno revelatio illa in Actibus Apostolorum Petro facta sit.*—Superest dicendum de tempore ante illud concilium; nam in illo non erat notum in Ecclesia an gentes conversi ad fidem legalia servare tenerentur: ergo pro eo tempore dum aliud non declarabatur, juste poterant ad illa servanda compelli: nam in dubio lex servanda est quamdiu non constat non obligare. Nihilominus contrarium omnino asserendum est. Ut autem hoc clarius probeatur et intelligatur, distinguamus illud primum tempus in duo: unum, usque ad revelationem factam Petro ut Gentiles baptizaret, Actor. 10, quæ accidit anno Christi quadragesimo-primo, hoc est, septimo vel octavo a passione ejus, ut Baronius ostendit; aliud est post illam revelationem usque ad prædictum concilium. In priori tempore, non est prædicatum Evangelium gentibus, neque aliquis pure Gentilis baptizatus est; sed Cornelius fuit primus qui Dei monitu baptizatus est, et tunc cœpit gentibus aditum ad Ecclesiam reserari, ut recte ait Baron. supra. Estque optima conjectura, quia Petrus, caput Ecclesiæ, ausus non fuerat

gentes baptizare: ergo non est verisimile alios Apostolos vel discipulos prius aliquos Gentiles baptizasse. Unde, Actor. 11, postquam Petrus revelationem sibi factam narravit, alii fideles ex Judæa conversi *glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et gentibus penitentiam dedit Deus, et vitam;* et additur ibidem de discipulis, qui fuerant dispersi a tribulatione quæ fuerat sub Stephano: *Prædicabant, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis.* In illo ergo tempore non habuit locum quæstio de jure, quia non erat factum quod esset juris fundamentum. Si enim Evangelium non prædicabatur gentibus, nec eis dabatur Baptismus, nullo modo poterant ratione legis novæ ad antiquam servandam compelli, cum antea ex vi legis antiquæ cogi non possent.

5. *Objectio.*—Objici vero potest quia Philippus baptizavit eunuchum ante revelationem factam Petro, ut constat ex Actibus; imo Baron., in anno trigesimo-quinto Christi Domini, notat in illo anno historiam illam, Act. 8, contigisse: at vero eunuchus ille Gentilis erat, teste Euseb., 1. 2 Hist., c. 1, et sequuntur plures doctores; D. Thom., Joan. 12, l. 4; et ibi Maldonat.; Tolet., circa illa verba, *erant autem quidam Gentiles;* Abulens., Matth. 6, quæst. 129; Salmer., tract. 28 et 32, in Act., et alii citati a Lorino, Actor. 8; ergo signum est ante revelationem factam Petro gratiam Evangelii fuisse communicatam gentibus. Unde Euseb. supra dicit eunuchum illum fuisse primum ex gentibus baptizatum, juxta illud Psalm. 67: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Respondeo: quidquid sit de origine illius eunuchi, an fuerit ex parentibus gentilibus, vel judæis, quia de illo vix potest aliquid certum affirmari, cum potuerint Judæi esse in Æthiopia, sicut erant dispersi per alias mundi regiones, quidquid ergo de hoc sit, verius existimo illum fuisse professione et fide Judæum, non solum quia venerat adorare Jerusalem, sed etiam in itinere Isaiam legebat, eumque Prophetam esse credebatur. Unde verisimile est quod Lyran., Carthusian. et alii dicunt, illum fuisse proselytum; neque enim aliter Philippus illum baptizaret, cum nondum fuisset janua Ecclesiæ gentibus aperta, ut ex Actor. 10 colligitur, et recte notant Baron. supra, et Bellarm., 1. 4 de Rom. Pontific., cap. 22. Quod ergo Eusebius ait, eunuchum illum fuisse primum ex gentibus baptizatum, si intelligat de gentibus præputium habentibus, falsum est; si vero intelligat de gentibus factis proselytis, incertum est: nam Hieroso-

lymis erant alii proselyti ex gentibus, qui potuerunt et credere et baptizari, etiam vivente Christo; imo Zachæus, ut multi putant, Gentilis erat, ut patet ex Tertull., 1. 4 contra Marcion., cap. 37; et Cypr., Epistol. 63; Chrysost., hom. de Zachæo, tom. 2; Beda, Lucæ 19; ubi idem sentit Ambr. et Petrus Chrysol., serm. 54, ubi ait, *fuisse adoptatum in filium Abraham:* unde verisimiliter credi potest fuisse proselytum, non enim aliter Christus ad illum divertisset, ne legem violare videretur. Nam, ea ratione, Judæi conversi ad fidem in principio cavebant consortium Gentilium præputium habentium, ut colligitur ex Act. 11, et ad Galat. 2. Unde sicut Christus de Zachæo dixit: *Hodie salus huic domui facta est, eo quod et ipse sit filius Abraham,* ita credibile est fuisse baptizatum, vel vivente Christo, vel postea ab Apostolis ante eunuchum. Nec refert quod multi alii existiment illum fuisse Judæum, quia neutrum, ut credo, satis probari potest, et nos non facimus vim in exemplo talis personæ: nam multi alii proselyti esse poterant inter Judæos, de quibus eadem est ratio. Unde est ultimo in hoc puncto considerandum, quod, licet eo tempore Evangelium per se non prædicaretur gentibus, id est, ex instituto, et in terris eorum, nihilominus multi Gentiles non circumcisi poterant Hierosolymis et in Judæa habitare, et audire verbum Dei, et fidem in Christum concipere, ut de Centurione Matth. 8 et Luc. 7 valde probabile est, et consequenter etiam per fidem vivam et contritionem internam justificari: nihilominus tamen per Baptismum non admittebantur ad Ecclesiam usque ad revelationem factam Petro. Et ideo etiam de illis certum est non potuisse ad servanda legalia cogi, cum nec lege veteri ad circumcisionem suscipiendam obligarentur, neque ad Baptismum admitterentur.

6. *De tempore baptismi Cornelii usque ad Hierosolymitanum Concilium idem dicendum.*—*Ratio.*—Denique etiam de illo tempore a Baptismo Cornelii usque ad Hierosolymitanum concilium idem dicendum est. Quia licet antiqui Judæi æmulatores legis illo tempore murmurarent, et rumores excitarent, quia homines non circumcisi ad consortium Ecclesiæ admittebantur, nihilominus Apostoli semper eis restiterunt, et Paulus neque ad horam eis cessit, ut ipse dicit ad Galat. 2. Et Petrus, Act. 11, non sedavit Judæos cogendo Gentiles ad circumcisionem, sed Dei voluntatem Judæis declarando. Unde credi

potest idem fecisse tunc alios Pastores Ecclesiæ, licet nondum esset res authentice definita. Ratio autem est, quia nulla erat lex quæ Gentiles, ad fidem conversos, ad veteres cæremonias obligaret, quia nec lex vetus ad illos loquebatur, præterquam quod jam erat mortua, nec nova hoc præcipit, ut supra ratiocinati sumus. Unde ad rationem dubitandi negare possumus tunc rem fuisse dubiam, quia, licet non esset definita, per rationem poterat esse ita manifesta, ut vix posset a mediocriter eruditis invincibiliter ignorari. Addo etiam, cum alias constaret legem veterem non esse datam gentibus, etiam in casu dubio non potuisse Gentiles, ad fidem conversos, ad legem servandam juste cogi, quia ipsi possidebant libertatem suam, et in dubio melior est conditio possidentis.

7. *Nunquam Gentiles ad fidem conversos et baptizatos fuisse coactos ad legalia servanda.*—Dico, secundo, nunquam Gentiles ad fidem conversos et baptizatos fuisse coactos ad legalia servanda per aliquam ecclesiasticam legem, imo nec licuisse unquam ita illos cogere. Prior pars constat, quia nulla talis lex ecclesiastica ostendi potest. Item vel illa lex fuisset ante Concilium Apostolicum, et hoc dici non potest, quia semper Apostoli tali coactioni repugnarunt; multo vero minus dici hoc potest de tempore post concilium, quia non poterat lex fieri contra Apostolorum definitionem. Et id etiam confirmat exemplum de Tito ad Galat. 2. Posterior item pars facile probatur, quia vel est sermo de legalibus formaliter, et hoc modo contra jus divinum esset talis coactio: ergo non est potestas in Ecclesia ad tale præceptum imponendum: vel est sermo de legalibus materialiter sumptis, et sic circumcisio non potest ab Ecclesia præcipi, quia est res difficilis valde et inutilis: ergo nec alia legalia.

8. *Dubitatur.*—*Duplex expositio.*—Sed licet hoc sit verum de toto onere legalium, nihilominus de aliqua parte vel actu illorum aliter apparet, quia non solum videtur posse aliquid legale præcipi, sed etiam esse præceptum Actor. 15, ubi præcepta est gentibus conversis abstinencia ab idolothytis, sanguine et suffocato. Hoc vero testimonium duas habet expositiones, seu responsiones. Una est, ibi Apostolos nihil legale statuisse, imo nec positivam legem tulisse, sed tantum tria naturalia præcepta negativa, quæ a gentibus facile violabantur, renovasse aut præcepisse. Primum est præceptum abstinendi a fornica-